

[1] Omnēs sēnsūs perdūcendī sunt ad firmitātem; nātūrā patientēs sunt, sī animus illōs dēsit corrumpere, quī cotīdiē ad ratiōnem reddendam vocandus est. Faciēbat hoc Sextius, ut cōnsummātō diē, cum sē ad nocturnam quiētem recēpisset, interrogāret animum suum: ‘Quod hodiē malum tuum sānāstī? Cuī vitiō obstitistī? Quā parte melior es?’

[2] Dēsinet īra et moderātor erit, quae sciet sibi cotīdiē ad iūdicem esse veniendum. Quicquam ergō pulchrius hāc cōnsuetūdine excutiendī tōtum diem? Quālis ille somnus post recōgnitiōnem suī sequitur, quam tranquillus, quam altus ac līber, cum aut laudātus est animus aut admonitus et speculātor suī cēnsorque sēcrētus cōgnōvit dē mōribus suīs!

[3] Ūtor hāc potestāte et cotīdiē apud mē causam dīcō. Cum sublātum ē cōspectū lūmen est et conticuit uxor mōris iam meī cōnscia, tōtum diem meum scrūtor factaque ac dicta mea remetior; nihil mihi ipse abscondō, nihil trānseō. Quārē enim quicquam ex errōribus meīs timeam, cum possim dīcere: ‘Vidē nē istud amplius faciās, nunc tibi īgnōscō.

[4] In illā disputātiōne pūgnācius locūtus es: nōlī postea congredi cum imperītīs; nōlunt discere, quī numquam didicērunt. Illum līberius admonuistī quam dēbēbās, itaque nōn ēmendāstī sed offendistī: dē cēterō vidē, nōn tantum an vērū sit quod dīcis, sed an ille cui dīcitur vērī patiēns sit: admonērī bonus gaudet, pessimus quisque rēctōrem asperrimē patitur.